



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

45. An Inquisitores possint inimicos admittere in testes? Et an verò
suspecti de inimicitia, vt amixi, subditi, aut consanguinei capitalis inimici
admittantur in testes: Ex part. 4. tract. 8. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Sed an Episcopi in recipiendis testibus contra hæreticos teneantur adhibere dictas duas personas religiosas, negat Repertorium Inquis. in ver. *examinatio testium*, sed affirmat, & optimè Pegna in *direct. part. 3. q. 63. comment. 112.*

RESOL. XLIII.

An Inquisitores possint recipere testes ad perpetuam rei memoriam ad instantiam fiscalis, ut postea faciam fidem contra reum? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 15.

§. 1. V Idetur negativè respondendum, ex *gloss. 3. in cap. quoniam frequenter, ut lite non contestata*, ubi declarat textum, scilicet quo ibi dicitur, quod possunt recipi testes ad perpetuam rei memoriam, etiam lite non contestata, ut intelligatur in causis civilibus, non autem in criminalibus. Vnde inferitur quod testes recepti in summario iudicio non faciunt fidem in plenario iudicio, etiam in criminibus exceptis, cum sint recepti ante litem contestatam. Ita Bartol. in l. fin. ff. de *quest. Felinus in cap. 2. de testibus*, & alij.

2. Verum his non obstantibus in favorem fidei affirmativam sententiam tenendam esse puto, unde hic apponam verba doctissimi Didac. Canteræ in *quæst. crim. cap. 2. de probationibus per testes, quæst. 1. num. 46.* ubi sic asserit. Sed an habeat locum in causa hæresis, cum sit causa criminalis, scilicet quod testis examinatus ad perpetuam rei memoriam ad instantiam fiscalis faciat fidem postea contra illum, contra quem deponit, v. g. Aliquis testis qui dixit contra alium, condemnatur & relaxatur ad iudicem secularem, vel mittitur ad tritemes, vel se absentat, postea capitur reus, an in plenario iudicio contra reum si non invenitur, faciat fidem contra talem reum, contra quem fuit examinatus ad perpetuam rei memoriam, ad instantiam & petitionem fiscalis. Et in hoc casu credo quod faciat fidem saltem in crimine hæresis. Et licet certe talis testis non diceretur testis omni exceptione major, & sic durum mihi videretur quod per talem testem poneretur quis ad torturam, tamen in hoc iudicio Inquisitionis servatur quod per talem testem quis poneretur ad torturam, si aliàs testis deponeret verisimilia, & daret rationem sui dicti, præcipue quando alia, licet minima, præsumptio esset contra reum. Hoc fuit sic determinatum in Consilio supremo Inquisitionis, & vidi quamdam epistolam, per quam ipsi mandant quod talis testis faciat plenam fidem, & per talem testem procedatur, si aliàs testis diceret verisimilia, & redderet rationem sui dicti. Et certe hoc videtur provisum in favorem fidei, per text. in *cap. in fidei favorem, de heret. in 6.* licet mihi semper visum est durum ut testis examinatus ad perpetuam rei memoriam faciat plenam fidem si non examinatur in plenario. Tamen, ut dico, ego vidi praticari in Inquisitione Regni Galiciæ, ubi quidam Monachus deposuit contra propriam matrem, & ex eo quod habebat mandatum à Superiore, ut se conferret in Italiam, ex hoc fuit examinatus, & ratificatus ad perpetuam rei memoriam, & valuit ejus dictum, ex quo fuit capta mater, & processum fuit contra eam. Hæc omnia Canteræ, quæ sunt valde notanda à DD. Inquisitoribus.

RESOL. XLIV.

An Inquisitores possint examinare testes nominatos in denunciatione facta sine nomine denunciatoris; quia certum est, quod absentes admittuntur in crimine hæretico. Tom. V.

refus, si proprio nomine, & juramento denunciationem firment? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 41.

§. 1. C Ertum est quod etiam absentes admittuntur in crimine hæresis si proprio nomine, & juramento denunciationem firment, ut probat Simanca in *catbol. instit. tit. 43. n. 10.* & in *enchir. tit. 2. num. 8.* Zecchius in *sum. tom. 1. tit. de fide cap. 11. num. 12.* & alij. Sed difficultas est, an Inquisitores possint procedere ad examinandum testes nominatos in denunciatione facta in scriptis sine nomine denunciatoris: Affirmativè responderet Paramus de *orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 6. num. 93.* Sed adversus illum, & meritò, insurgit Ferdinandus à Castro *tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 4. num. 4.* & Farinacius de *heresi quæst. 85. num. 68.* ubi ait quod etiam si in schedula sine nomine transmissa sint testes nominati, non debent procedere Inquisitores ad eorum examen, & ita testatur servari Romæ in Tribunali Generalis & S. Inquisitionis. Ratio est, quia talis nominatio testium debet rejici tanquam suspecta, cum procedat à persona incognita. Sed adversus Castrum & Farinacium opinio Parami olim mihi non displicebat, nam quæ major persona suspecta, quam inimicus capitalis & tamen Castr. & Farinacius admittunt testes quos inimicus capitalis deferret ergo quanto magis admittendi sunt testes quos denunciator occultus præstet. Verum quia praxis est in contrarium, à contraria opinione non est recedendum.

RESOL. XLV.

An Inquisitores possint admittere inimicos in testes? Et an vero suspecti de inimicitia, ut amici, subditi, aut consanguinei capitalis inimici admittantur in testes? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 16.

§. 1. R Espondeo negativè cum Simanca in *instit. catbol. tit. 64. num. 80.* Gundisalvo de *heret. quæst. 13. num. 13.* Zanchinus *cap. 13. num. 3.* Repertorium Inquisitorum *part. 3. quæst. 67.* & ibi Pegna *comment. 116.* & Ioan. Rojas de *heret. part. 2. num. 231.* ubi asserit, quod testi inimico non sit credendum, etiam in articulo mortis, & etiam quod deponat in tortura, & etiam si sit reconciliatus, dummodo reconciliatio fuerit recens, secus si antiqua. Vnde ex officio Inquisitores debent diligenter inquirere de inimicitia testium tam ipsos testes, quam inquisitos.

2. Sed hæc omnia intelligenda sunt de inimico capitali, secus de inimico non capitali, nam inimicitia si non fuerit capitalis, non impedit, ut aliquis non possit esse testis, licet fidem aliquantulum diminuat. Et ita docet Parisius *lib. 4. consil. 2. n. 46.* Zecchius in *sum. part. 1. tit. de fide rubr. de heresi cap. 11. num. 14.* & alij. An vero suspecti de inimicitia, ut amici, subditi, aut consanguinei capitalis inimici, admittantur in testes? Negat Hieronymus Gabr. *consil. 178. numero 8.* & 24. *lib. 1.* Sed affirmant Calderinus & Zanchinus, quos refert Farinacius *tract. de heresi quæst. 158. §. 6. numero 107.* Verum hi DD. ut bene observat Sanctarellus *tract. de heresi cap. 38. dub. unic. numero 14.* sunt intelligendi, quando adfunt probabiles conjecturæ quod non adducantur ex odio ad testificandum, sed ex zelo fidei, quod prudens Inquisitor observare debet, ideo dictis testibus non creditur, nisi in quantum legitimo adminiculo adjuvantur, ut cum DD. citatis docet Soula in *apbor. Inquisit. lib. 2. cap. 13. num. 8.*

3. Verum his non obstantibus Castrus Pal. *tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 1. num. 10.* tenet amicum strictum,

strictum, vel consanguineum inimici capitalis rei repellendum esse à testificando in crimine hæresis, & citat Gabrielem *ubi sup.* Sed ego non recedo ab opinione Soulae & aliorum in casu verò occurrenti quarantur sint inimicitie capitales, DD. Inquisitores & eorum Consules videant Almontem Ciazium in *discept. crim. discept. 34. cap. 1. num. 1. & seg. cum aliis DD. ubi supra.*

RESOL. XLVI.

An Inquisitores possint, & debeant interrogare testes, an sint Iudæi, Saraceni, &c. Ex p. 4. tr. 8. Ref. 114.

§. 1. Videtur prima facie respondendum negativè, quia nemo tenetur detegere turpitudinem suam, & ita loquens de testibus notavit Abbas & Bartolus *en l. 1. de offic. Asses.* & hanc dicit communem opinionem Felinus in *cap. cum causam, de testibus num. 44.*

2. Verum his non obstantibus affirmativè respondendum est, quia, ut observat Didacus Cantera in *quest. crim. cap. 2. de vera de confessione, num. 41. fol. mibi 93.* in crimine hæresis solet interrogari testis, an sit ex genere Iudæorum, vel Saracenorum? & sic observatur & practicitur, quod durum videtur, tamen sustinetur ratione fidei, & fundatur in quadam Instructione Inquisitionis in novis, & de jure posset bene sustentari, quia est maxima præsumptio contra descendentes ex Iudæis, vel Saracenis, quando tractatur de fide, & cum sit ex genere Saracenorum, vel Iudæorum, præsumitur quod non dicit veritatem contra eos, qui sunt ejusdem generis, ut experientia docet, ideo bene potest interrogari testis sit ne de genere Saracenorum, vel Iudæorum, vel non. Nam cum sit testificatus de hæresi, saltem semiplenè, antequam capiat, & hac de causa potest interrogari de delicto principali, cum sit testificatus, nimirum si posset interrogari de genere, cum sit multum annexum causæ principali, & hoc potest probari ex textu in *cap. quia verisimile*, & quæ ibi tradunt DD. de *presumpt.* Hæc omnia Cantera.

RESOL. XLVII.

An sit reus nihil testibus opposuerit, teneantur adhuc Inquisitores inquirere qualitates, & vitam testium? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 114.

§. 1. Videtur, quod non, quia fiscus qui producit testes, habet præsumptionem juris pro se, cum omnes testes præsumantur idonei, & omni exceptione majores, ut dicit glossa in *cap. de testibus*, & standum esse dicto testium, si nihil in persona eorum opponatur, aut obiectum fuerit, ut patet ex *cap. præsentium, de testibus.* Vnde in sacro Inquisitionis Tribunali, licet ad condemnandum reos necesse sit ut testes sint omni exceptione majores; attamen fiscus hoc non articulat, neque probat testes ad sui instantiam productos esse tales, quidquid asserant Doctores, quos citat & sequitur Almon Ciazium in *disceptationibus criminalibus, disceptat. 22. num. 27.* ubi ex Decio, Parisio & aliis docet quod ubi requiritur testis omni exceptione major, de necessitate fiscus articulare & probare debet ipsum esse talem, aliàs probatio non relevat.

2. Verum licet, ut dixi, hoc in Tribunalibus Inquisitionis non servetur, attamen negandum non est debere Inquisitores etiam si testibus à reo nihil opponatur inquirere vitam eorum, conditiones & qualitates. Vn-

de doctissimus Inquisitor Albertin. in *cap. 1. de hæresi in 6. q. 1. 6. n. 28 & seg.* postquam probaverat, quod standum est dicto testium, si nihil in personis eorum sit obiectum à reo nihilominus ait: in *n. 32.* iudex debet eis, reo non petente, nec opponente, animum suum informare de conditione testis, præsertim in causis fidei, quoniam nomina testium non revelantur, ut possit ipse iudex adhibere vel non adhibere fidem testibus, visa illorum conditione. Sic Albert. & ita olim in una consultatione reus inquisitus de quadam hæresi formalis, cum nihil opposuerat contra testem, fiscus instabat torquendum esse: nam testis, ut dictum est *supra*, censetur idoneus, & omni exceptione major, si reus adversus illum nihil opponat, unde tunc ego petendo nomen supradicti testis, inveni illum hominem criminis, unde reus pro illa hæresi ad torturam minime positus fuit. Vnde DD. Inquisitores videant Campegium in *annot. ad Zanchinum, cap. 13. lit. B. ver. de aliis vero inimicis*, ubi docet, ut semper lolet, de hac obligatione Inquisitorum petere.

3. Non desinam tamen hic obiter adnotare cum docto Simanca in *enclirid. tit. 3. §. 5. n. 23.* quod contra testes in causa hæresis non excipiuntur exceptiones, nisi tales sint illæ, quæ illos penitus resellant, videlicet inimicitie capitales, conjurationes, subornationes, & alia ejusdem generis, nam ceteræ fidem testium elevant, sed eam proflus non tollunt. Ita ille.

RESOL. XLVIII.

An Inquisitores debeant confrontare testes cum reo? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 63.

§. 1. Respondeo quod in aliis delictis hoc facere expediat, ex *l. si postulaverit, §. questionis, ff. ad legem Juliam de adult.* tamen in causa hæresis à DD. Inquisitoribus hoc minime efficiendum est. Vnde in *instr. Tol. ann. 1562. n. 72.* sic habetur: [Anque en los otros Inyrios suelen los Iuezes para verificación de los delitos carear los testigos con los delinquentes, en el Uzyzio de las Inquisición no se deve, ni se acostumbra hazer, y por experiencia se ha que si alguna vez se ha hecho, no ha resultado buen efecto antes se han seguido dello inconvenientes.] Ita ibi, & ratio est, quia si testes cum reo essent confrontandi, abstinere à delicto denunciando. Et ita docet Sanctarellus de *hæresi cap. 39. dub. 4. n. 22.* Pegna in *direct. Inquis. p. 3. comment. 23. n. 101. & comm. 48. n. 209.* limitat tamen supradictam sententiam Genuensis in *praxi Archiep. c. 68. n. 6.* ex Pegna *loc. cit.* in duobus casibus. Primo quando testes sunt socii criminis. Secundo, quando recto iudicis arbitrio omne testium periculum cessaverit, nempe si reus est persona vilissima, qui parum curat habere bonam, vel malam famam, ut meretricis, & similes infames.

2. Verum non desinam hic apponere verba Sigismundi Scaccia de *judic. lib. 1. cap. 87. n. 19.* ubi sic ait: Quamvis Inquisitori videatur cessare periculum confrontandi testes: tamen solus non debet ad apertam recognitionem & confrontationem devenire sine consensu Episcopi, & peritorum, qui si secum non convellant, consulat majores Inquisitores, quia etiam in summo Senatu generalis Inquisitionis nonnulla sunt recognosciones, seu confrontationes, nulla re cognita & decreto interposito per Cardinales, Inquisitores, generales. Vnde tu sume argumentum quam caute in re tam periculosa debeas procedere. Ita Scaccia *ubi sup.* qui etiam apponit formam & practicam, quomodo & quando est necessaria confrontatio, & fieri debeat ipsi reo non videnti testem. Et ideo in casu contingenti videant DD. Inquisitores supradictam Scaccia.

RESO